quid domus illorum? perpetuum tenebrarum ærumnarumque
ergastulum, nec solis unquam splendidissimis radijs illu-
minandum. Quantas per Deum immortalem, calamitates
et miserias ij non sustinent, qui pedibus aut manibus
mutili ac trunci sunt? anne cuiuspiam mortalis terrar-
um orbe hominis conditio potest esse miserabilior et
acerbior? est, est profecto cæcorum longe durior. Illi
omnibus gaudijs, quæ homini unquam obtingunt frui
participesque possunt, isti non possunt. Illi verum à fal-
so, pulchrum à deformi diiudicant, hostemque suum fugiunt aut
declinant, isti nihil minus. Navigent itaque per immen-
sum multisque periculis plenum pelagus nautæ, transigant
in ærumnis vitam suam qui manibus aut pedibus trunci,
aut uno alterove corporis membro destituti sunt, at me-
hercle in omnium miserrimo statu cæci constituti cursum
vitæ suæ decurrunt. Sed stulte me agere video, dum
miseriam cæcorum hominum cum aliorum hominum miseria con-
ferre audeo, quæ nec cum brutorum quibuscunque comparan-
da est. Si enim consideremus ordinem motumque membror-
um ipsorum, prorsus fugiunt mortem, amant vitam, appetunt